



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-550824-p0001-1

DFG

Univers. Bibl. Halle / Saale.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIR'I;
DN. DAN. LVDOLPHI;
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

++

DB. 6.
DB. 6.

B R E V I S
DISCURSUS

De Revolutionibus hujus Annī,

Ac nominatim

D E

F O E L I C I T E R S O L U T O

G R O N I N G A E'

O B S I D I O;

Habitus in Choro Templi Academici 23.

Augusti 1672.

Cūm fasces Academiæ quartūm susciperet

S A M U E L M A R E S I U S,

Theologus.



Dixit homo Gentilis,

A Jove principium Musæ, Jovis omnia plena.

Sed dicam cum Divino Vate, *Auxilium nostrum in nomine Iehovæ qui fecit cœlos & terram. Amen.*

Nobilissimi & Amplissimi DD. Curatores, Academæ Statores Fortissimi, Tuque D. Consul Nobilissime & Amplissime, inter Patres Patriæ mihi devenerande ;
Clarissimi Celeberrimique DD. Professores, Collegæ plurimū colendi ;
Vigilantissimi & Doctissimi DD. Pastores, Fratres & Symmystæ admodum honorandi ;
Omnium Facultatum Doctores, & omnium Ordinum Hospites Spectatisimi ;
Tuque Lectissima & Fortissima Studiosæ Juventutis corona :

N Tempore sumus, inquit Cicero,
& quid sit tempus ignoramus : Dicitur vulgo tribus constare partibus,
Præterito, Præsenti & Futuro ; Verba tamen Hebraica carent Præsenti,
& illud Græcorum $\tau\delta\upsilon\upsilon$ non tam pars est temporis, quam indivisible vinculum quo illius partes
binæ connectuntur ; Præteritum sc.
quod jam abiit, periit, interiit, nec revocari potest : & Future,

turum, quod nondum est, lentoque gradu venit & obnubilato vultu, ut nescias quid serus vesper rebat. Præteritum vix quicquam sui relinquit mortalibus, præter tedium, pœnitudinem & inania desideria;

O si præteritos Jupiter nunc referat annos!

Futurum vexat eorum animos mille sollicitudinibus importunis, quas jure conferas cum Promethei vulture, ejus præcordia cotinuò lacinante, illosque tenet adeò suspensos inter spem & metum, ut quod se vertant nesciant. Tempus aliis omnium sapientissimum dicitur, & colitur ceu pater veritatis, qui eam ex Democriti puteo magno molimine conatur eruere; Aliis verò πάντων ἀ μαθέσατον omnium insipientissimum, statuitur, quod omniū inducat oblivionem, & cymbā Charontis, omnia trans Lethem traducat celerrimè. Hieroglyphici nonnulli tempus pingunt alatum, præditum senili barbā, & Saturniā falce armatum, quod celeri suo motu, senium inducat omnium rerum, & acutissimā falce, omnia, quæ severat, soleat demetere & refecare. Sed nulla mihi Temporis figura magis arridet eā quā exprimitur sub imagine Serpentis, circulum ex suo corpore facientis, & ori suam caudam inserat tenentis: quasi seipsum non tam devoraturi, quam devorantis; Nam quod de vento dicit Salomon Eccl. i. jure dixerim de tempore, illud scilicet redire ad suos circuitus, trocho ludere & mortalibus illudere, per suas revolutiones; seipso vesci, & semet consumere, edax rerum, ut instar Phœnicis seipsum reproducat, & ita sui ipsius sit α & ω, ortus & interitus, principium & finis, atque mutatis nominibus eandem edat fabulam in Scena Vniversi.

Cùm autem hujus Circulatoris Serpentis revolutionibus ordinariis hīc sistamur, Imperioso illi Tyranno, qui *Mos* dicitur, inservituri, & hic cæteroquin annus, magnarum & subitanearum revolutionum exempla nobis

plura jam exhibuerit, quam vel ipse Plato in suis Palingenesibus & Revolutionibus magnis potuisset imaginari, censui haud abs re me facturum, si obsequuturus Confitudini, quæ jubet Rectorem Academiæ inauguratū, de delecta aliqua materia breviter perorare, de istis crebris revolutionibus hujus anni, si non pro magnitudine rei, saltem pro mei judicii tenuitate & temporis angustia, aliquid dicerem, cujus forte meminisse juvabit.

Centesimus hic annus est, ex quo Resp. Belgii Liberi sua sumpsit initia. Nam ille annus superioris sæculi 1572. quo & Albana crudelitas in Belgium sæviebat, & sævitia Pontificia Gallias cruentabat innoxio sanguine tot millenorum imò myriadum Martyrum, in infausto festo San Bartholomæano, 24. Aug. ex diro axiomate Papistico, quo cautum est fidem hæreticis non debere servari, prima dedid auspicia Belgicæ liberationis & libertatis, occupatio ne Brielæ, per eorum Exulum Classem, qui Patriâ pulsū propter Veritatis professionem, nuspiam, nequidem in ipsa Anglia, sedes tutas poterant obtinere: Ex illis principiis ita tenuibus, auspice Deo, Princeps Auriacus, Guilelmus primus, æternâ memoriâ in Belgio dignus, & qui longè aliter quam Themistocles, artem calluit ex parva urbe magnam excitandi civitatem, ad illud gloriæ & fœlicitatis culmen deduxit per se & suos successores Belgium Fœderatum, ut tandem cumulo benedictionum cœlestium & terrestrium in ipsum Divinitùs effuso, invidiam & odium potentissimorum suorum vicinorum sibi conciverit; unde centesimo post anno à suis Natalibus, ea debuerit pati, quæ hoc anno contigisse stupemus & miramur; dixito tamen compescentes labellum & dicentes Deo cum Davide, ô Domine tacuimus, neque os aperuimus, quia tu fecisti.

Res non successerunt in Oceano illi Principi, qui contendit

tendit cum Neptuno de maris dominio & imperio. Clas-
sis enim Smyrnensis, cui, ante clarigationem contra jus
Gentium, immemor etiam juramenti solemnis quo paul-
lò antè in triplex Fœdus nobiscum convenerat, struxerat
insidias, ejus pyraticæ fortiter se subduxit. In prælio nava-
li, victoria à nostris stetit partibus. Post clades suas ut-
cunque resartas, secundum accepit damnum ab ipso mari
tempestatibus infesto, honorem supremi sui Domini ul-
ciscente, contra illos terræ filios, qui quod uni soli Deo
debetur, ipsum cœlum suâ petentes stultitiâ, Titanio co-
natū, sibi arrogant. Sua damna reparanda sperabat ex o-
pibus Indiæ Orientalis; Sed & illæ corvum deluserunt hi-
antem, & in nostra Delfzyla suum asylum repererunt.
Sperandum est illum Principem tandem suis edoctum
cladibus, saniora admissurum consilia, & de pace cum pri-
scis fœderatis, illius ejusdemque fidei Orthodoxæ confor-
tibus, cuius se *Defensorem* profitetur, seria initurum con-
silia.

Terræ vero Rex Galliæ, suffultus consiliis & copiis
Coloniensis Archiepiscopi, Monasteriensis Episcopi, &
aliquot aliorum Pseudo-Episcoporum in Germania, An-
tichristi Satellitum, instar præsteris vel torrentis incubuit
Rheno, & quam plurimas Urbes oceupavit: Quin ex se-
ptem fœderatis Provinciis, præter annexas in Clivia Civi-
tates, tres integras, Trans-Isulanam, Geldricam & Ultraje-
ctinam, misit sub durissimum jugum, non tam suorum
fortitudine & armis, quam nostrorum pusillanimitate,
inertia & proditione. Nolebat Alexander Magnus fura-
ri Victorias; sed suas nostri hostes, pretio & pecuniâ, quam
sudore & sanguine sibi comparare maluerunt; artes se-
ctati Philippi Macedonis, qui nullam putabat urbem in-
expugnabilem, quò posset duci mulus auro onustus. Ipse
Rex Gallus noluit Triumphi honores, sibi à suis Parisensi-
bus

bus oblatis,admittere; quod satis nosset, se istis victoriis tam celeribus non esse potitum,ut ipsi Galli loquuntur,*de bonne guerre*,sed plus auri in illas effudisse quam sanguinis, & potius *argenteis lanceis* pugnasse,ut vetus Poëta loquitur quam ferreis. Nempe Mercatoria Respublica,cujus cives assueti sunt in lacu Lucrino navigare, mercatoriis artibus, & Mercurii magis quam Martis operâ, erat superanda. O probrum æternum Belgicæ Fœderatæ, quod de illa jam dici potuerit quod olim de Romana pronunciavit Jugurtha, eam fore vñalem, si emptorem nanciseretur! *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra famæ?* O degeneres Belgas, qui tenui ære, Conscientias, Patriam, Ecclesiam, Libertatem, Famam, Honorem, & quicquid est viris honestis in pretio, turpiter vendiderunt, & quæcunque generosi & pii sui Patres & Parentes, tantis sibi paraverant impendiis, per illud bellum diuturnum cum Ibero, quod Campanella Dominiano teste, plus hausit sanguinis humani, quam sedit vel fluit aquæ in Hollandiæ totius canalibus, & plus auri constitit, quam pendunt lateres & lapides omnium ædium, quibus nitent ejus urbes.

Quantum lachrimarum expresserit piis & bonis animabus, dolentibus ex fractura Josephi, hæc inopina tempestas, hæc tristis revolutio, facilius sentiunt omnes boni, quam vel cogitatione assequi, vel oratione exprimere valeam. Ecquis quæso non lugeat & deploret tot Pastores Evangelicos suis sedibus ejectos, à suis gregibus depulsos in Tuyventia & in TransIsulano agro? Tot Templæ simulacris repleta, & Idolo Missatico addicta & consecrata, quæ prius non nisi puri Verbi Divini præconio & piis Dei laudibus personabant? Et tot fidos fidei Christianæ Confessores, non solùm suis exutos terrenis bonis, & ad corporream egestatem redactos, sed etiam ad famen illam Spiritualem audiendi Verbi Divini, cuius fit mentio Amosica pite

pite octavo? Ecquistam duri & ferrei cordis, qui talia audiendo temperet à lachrymis, si ferveat Spiritu, & ei restet aliqua scintilla pii & sancti zeli in causa Dei & Ecclesiæ?

Verùm isti priori & tristiori revolutioni hoc anno climacterico alia accessit lætior & jucundior omnibus bonis, ex restitutione in integrum Principis Auriaci. Res iisdem mediis conservari, quibus partæ sunt, vulgo dicitur. Per Auriacos Heroas Respubl. fuerat instituta & floruerat; Per Auriaci stemmatis prænobilem surculum, restitui & porrò conservari debebit & potuerit. Princeps est ad unguem factus, prudens, pius, temperans, comis, amans Patriæ & Ecclesiæ, & de quo jam jure dixeris quod David de seipso, *Lapis quem rejecerant ædificatores factus est in caput anguli.* De Hercule ferunt Veteres duos grandes serpentes eum adhuc in cunis jacentem adortos fuisse. Sed hunc Herculem ἀλεξιανον, plures Dracones ab ipsis incunabulis impugnarunt, & variis difficultatibus & ærumnis ad magna quæque fuit præparatus. Patre fuit orbatus priusquam nasceretur; Matrem verò, per quam factus est consanguineus Potentissimorum Regum, puer amisit. Patriam ipsam suam novercantem expertus est, malis artibus eorum, qui Barneveldii lineis insistentes, omnem autoritatem in Republica ad se rapere diutissimè studuerunt. Avus ipsius paternus, Princeps Henricus, Gloriosæ memoriæ, tria moriendo commendaverat Ordinibus Belgii, Militiam, Unionem, & Religionem; certus horum trium curam futuram suo filio Guilhelmo II. Fœliciss. recordat. Principi, sibi successuro in dignitate & autoritate ea, quam pertot annos, tanto cum splendore, tanta cum Reip. utilitate, sustinuerat. Isti verò de quibus loquor homines, non minus ambitiosi quam ingrati & astuti, Principi Guilhelmo paternam successionem cassam & inutilem reddituri, atque eâ ratione Barneveldii

dii supplicium, justissimum licet, vindicaturi, ac una via
structuri suis Remonstrantibus ad suppressionem Syn.
Dordr. circa illa ipsa tria quae dixi capita, in contraria o-
mnia ire statuerunt.

Primum enim præcipitarunt quantum potuerunt pa-
cem Monasterensem, ut illo prætextu Principi Imperato-
riæ dignitatis, si non titulum, saltem usum abrogarent; ac
de militia exauctoranda pertinax iniverunt consilium, re-
clamantibus etiam sociis fœderatis, qui periculo sum cen-
sebant, ne cum satis firmata pace, cujus securitas in armis
fuisset constituenda, inermem objicere Rempublicam
primo invasori. Fuit autem ea pertinacia in hoc consi-
lio istius vehementis factionis, ut vix ac ne vix, etiam post
prensatas à Principe plerasque urbes, & quædam remedia
magis caustica adhibita, capitib; quibusdam factionis in
custodia detentis, & missis Lovestenium, ipsumq; Amste-
rodam tentatum ad deducendos illinc quosdam filios
Bicri, (quo nomine Davidis hostem quendam insignitum
legimus 2.Sam.20) qui rerum ibi potiebantur, aliquod
temperamentum voluerint admittere. Paullò post illam
tempestatem obiit Princeps, relictâ suâ conjugè gravida
ex nostro Heroë; Quam autem accepta fuit melioribus, hu-
jus Charilai nativitas, quem Lycurgi affectu suscep-
runt, tam accidit ingratias istis sive Decemviris Romano-
rum sive triginta Tyrannis Atheniensium, Oligarchiam
in Republica non meditantibus tantum, sed excentri-
bus; Exinde enim illis unicum hoc fuit propositum, Do-
mum Illustrē Auriacam perdere, & tria illa quæ com-
mendaverat Princeps Henricus, funditus evertere.

Ad stirpis Auriacæ oppressionem varia moliti sunt: Post
Caroli I. Regis Angliæ, avi materni nostri Herois, patri-
cidium, bellum natum est inter Belgas, & parricidarum ca-
put, Cromwellium. Ubi cœpit de pace inter partes trans-
igi,

sigi', nostri oligarchæ', clam sociis Provinciis , imò & eo-
rum tertio in legatione socio, de articulo *Seclusionis* cum
hoste transegerunt ; quo nihil iniquius potuit excogitari;
ut princcps natus Belga, citra ullam suam culpam, præter
& contra merita totius suæ Illustr. familiæ, irregularis fie-
ret, & inhabilis atque incapax ullius officii & dignitatis in
Republica declararetur, ac jure civitatis in sua Patria exci-
deret. Successit deinceps Edictum perpetuum *Suppressionis*,
quod mille nodis plusquam Gordiis adstrictum , solo ur-
gentis necessitatis gladio, refecari atque mortificari po-
tuit. Taceo cœteras vitilitigationes, restrictiones & mo-
dificationes, quibus meliorum consilia ad Suæ Celsitudi-
nis promotionem postea spectantia, sufflaminare, morari
ac eludere conati sunt. Quot moras nexuerunt prius-
quam in Consilium Status admitteretur ? Quot limita-
tiones & dilationes excogitarunt priusquam suprema au-
thoritas armorum ipsi deferretur ? Quot clausulas captio-
nas isti Diplomati inseruerunt, ut nonnisi inane simula-
crum potestatis Imperatoriæ consequeretur ? Eodem pro-
cesserunt ordine in tribus illis capitibus , ex quorum nexu
Trojæ nostræ Palladium suspendi debuisset.

Qualem instituerint militiam post veterem exaucto-
ratam, eventus satis docuit. Non alia de unione eorum
consilia, quam ejus evertendæ. In singulis Provinciis,
nonnullis Potentioribus inspirata novæ Politices axioma-
ta, factiones fotæ & exitatæ , ex Machiavelli regula *Divide*
& impera. Non aliam cœterà velle retinere Societatem
Provinciarum quam Leoninam ? Vnionis tedium palam
profiteri, & variis editis Scriptis publicis , Unionem sibi
potius oneri & damno esse , quam commodo & usui, ire
probatum. Populi jura & libertates conculcare & op-
primere, nec cives amplius pro concivibus habere, saltem
Aristocratico ritu, sed pro mancipiis & subditis Regio &

B

De-

Despotico more. Justitiæ constans fovere justitium, & omnia pretio habere vœnalia. Religionis & Ecclesiæ non aliam superesse curam, quæ illius dissipandæ, & perden-dæ. Conventuum Ecclesiasticorum oppressa libertas; Promovendo Socinianismo ac Religionis Indifferentismo, restituendo Remonstrantismo, fovendis novis & portentosis in Religione monstris, unicè laboratum: Inde etiam cœptum pluris eos facere qui plura novarent in doctrina Ecclesiæ, & è contrario intercedere eorum vocationi ad Ecclesiasticas functiones, qui crederentur tenaciores illius doctrinæ, cui patres nostri suo cruro subscrifserant; formulas precum publicarum præscribere Ministris, intra quas deberent necessariò se continere, neque fas ipsis es-
set, ulla vota publica Deo nuncupare, pro domo Auriaca; ac tandem plenipotentiarios constituere paculos, sociis Provinciis inconsultis, qui cum hoste publico, de Libertate, de Ecclesia, de Religione, sub durissimis conditionibus transigerent, omnia denique potius prodere & vendere, quam suam tyrannicam Oligarchiam non retinere.

At hic, novâ & lætâ revolutione, Numinis ^{exdinus} ὄμμα evigilavit, & Deus ἀπὸ μηχανῆς securim injecit eo- rum molitionibus. Excitata sunt fortia piorum civium pectora, per quæ & populi jura restituerentur in integrum & Rectorum superciliosa insolentia in ordinem redigere-
tur, & clavus extorqueretur pessimis istis naucleris, qui navem Reipublicæ in hos scopulos induxerant, & Prin- ceps Auriacus avitas dignitates postliminiò reciperet, eas adhibiturus sub Providentiæ Divinæ fœlici ductu ad Rem publicam eo suo nitore redonandā, quem sui prædecesso- res Herculeis laboribus, illi primitus conciliaverant. Nempe ut ante centum annos, à pio populo cæpta fuit sub Guilelmi Auriaci fœlici regimine Reip. liberæ insti- tutio, ita hoc anno, pius populus debuit manum adhibe-
re

re ejus restitutioni fœliciter processuræ sub alterius Guilelmi Auriaci imperio. Per hunc, sic ominor, sic voveo, integritas sua prisca restituetur Reip. Astrææ ac Justitiæ suum tribunal; Ecclesiæ Reformatæ sua puritas, sua veritas, tranquillitas & unitas; Mercimoniis sua prosperitas, & secura pax diebus nostris.

Istius porrò magnæ & fœlicis revolutionis appendix fuit triste quidem, sed justum, si de re dicendum non de modo rei, fatum fratrum Wittianorum, magnorum aliás virorum, & qui iis erant instructi dotibus per quas tanto usui potuissent esse Reipublicæ quantum ei intulerunt damni, dum odio in Principem litare, affectibus suis vitiis, ambitionis, avaritiæ & libidinis dominandi obsequi, Artevellanæ apud Gandavenses quondam, similem sibi comparare factionem & potestatem, per fas & nefas maluerunt, quam intra Rationis, Legum, Unionis, Religionis, & Moderationis gyrum & circulum se continere. Hinc certè discimus quām verè scripserit quondam Tacitus, *Omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo quod utilitate publicâ compensatur*; Deum item extra ordinem scelera mortalium justè vindicare, ubi ordinarii Judices venaes, corrupti, addicti, prosopolepsia obnoxii, pro Iudo ducunt insontes condemnare, & fontes absolvere; Hi enim dum uni fratrum voluerunt parcere, utrumque in ultimum discrimen adduxerunt, qui nunc magnâ voce per umbras illud ingeminant omnibus in autoritate constitutis,

Discite justitiam moniti & non temnere divos;
Bonorum esse pastorum tondere pecus non deglubere; Magistratus & Judices ipsosque Reges esse propter populum, non populum propter eos; Nihil tutius esse Reipublicæ Proceribus, quam Piété, Æquitate, Integritate, Religionis Orthodoxæ serio studio, Modestia, Humanitate, Ma-

num puritate & Reverentiâ Legum, amore ac benevolentiam Civium suorum demereri, & odiſſe cane pejus & angue feralem & tyrannicam illam vocem, de qua modò ad vos dictum est, *Oderint dum metuant.*

Sed est præterea, A.H. quod inter fœlices revolutio-
nes hujus anni, nostræ Groningæ memorem obsidio-
nem, non minus temerè suscepit ab Idoli Sacerdotibus
& Mystis, quam tandem ignavè & turpiter ab illis ante
septiduum desertam & solutam. Monasteriensis Tyran-
nus, titulo & exercitio, non legitimus Princeps, & Prin-
cipis nomine eo indignior, quod nec Principum sanguine
sit satus, sed natus ex mediocri Nobilitate in West-
phalia, & quod omnis suus imaginarius Principatus, ni-
tatur infulâ Episcopali, & Apostolorum prætensiâ succe-
ſione, licet, Ambrosio teste, hereditatem Petri non habeat
qui fidem petri non habet, & Apostolis judice Bernardo *ad*
eugenium, Christus interdixerit dominatum, nec possit Aposto-
licus dominium, aut dominus Apostolatum sibi tribuer, quin
affectando utrumq, utroque debeat excidere; Is inquam Pyr-
gopolinices, armiger Antichristi, Dci Maozim & Missati-
ci Sacrificulus impurus, non Pastor sed raptor ovium,
non Episcopus Ecclesiæ Christianæ sed sævus & rapax in
illa lupus, & latro publicus, per fenestram Simoniaæ non
per januam legitimæ vocationis ingressus, assuetus con-
tra officium legitimi Episcopi, cui sarculus convenit non
gladius, pedum non sceptrum, bellum cauponari potius
quam belligerare, hoc suum truculentum & injustissi-
mum bellum, imò infame latrocinium, aggressurus, ja-
ctabat blasphemè ipsam salutem non fore saluti Evangelii-
cis, & Deum Reformatorum non posse amplius eos tue-
ri. Sed ò plene omni dolo & omni fallaciâ, fili diaboli, inimice
omnis justitiae, qui soles subvertere rectas Domini vias, (cur
non enim iisdem Te insigniam nominibus quibus Ely-
mam

magum compellabat Gentium Apostolus ?) sensisti
tuo magno malo & probro æterno, Deum nostrum no-
bis fuisse auxilio, & omnes tuos conatus Satanicos, po-
tentis suæ manu facile infregisse ; solereque nostrum De-
um cœli & terræ conditorem, non fictitium, qualis ille
tuus est cuius te Creatorem quotidianum profiteris, eos
dementare & excœcare, quos perdere decrevit. Groninga
castior erat Virgo quam ut tam impuro Sacerdoti, imò
tam fordido dæmoni, succumbere deberet. Alibi reperi-
sti mercatores & fœminas, χεισέμωρε: Hic verò viros &
milites. Venisti & vidisti, at non vicisti, sed turpi te fugâ
tandem subduxisti. Limam hic reperiisti cum Apologi
serpente, quam rodere dum tentasti, tuis dentibus justo
duriorem expertus es, & in illa fregisti geninum. Adver-
sus decumanos tuos fluctus stetit immota hæc rupes. Val-
lum & fossas versus nos duxisti, sed quibus tuos sepelires,
non vinceres nostros. Superos etiam flectere cùm nequi-
res, Acheronta movisti, & characteres Magicos & Jesui-
ticos adjecisti tuis Salmonis machinis, qui tamen nobis
noxæ non fuerunt, sed risui: Tui globi candentes, tui
bombi ignivomi, tuæ ollæ fœtidæ, tua granata tartarea,
quæ omnia dixerimus esse globulos Rosarii Diabolici &
Antichristiani, cuius compendia pro amuletis & prophyl-
acticis milites tui solent in pera gestare, nobis fuerunt
contemptui, imò etiam nostris pueris & toti nostro se-
quiori sexui ; & quæcumque nobis terrendis & ad turpem
deditionem cogendis adhibuisti machinamenta, exa-
cuendæ contra te nostræ fortitudini , & ad augen-
dæ nostræ adversus te indignationi , pro cote fue-
runt ; Potuerunt nostri pueri impuberes impunè & secu-
rè ludere cum tuis bombis, & luto in eorum foramen il-
lato eos extinguere. Ne semel quidem ausus es tentare
impetum in nostra mœnia, quod sàpiùs minatus fueras ;

b 3

Siqui-

Siquidem ei sustinendo & propulsando, vel nostræ mulieres Amazonum animo cœlitùs præditæ, adversus te potuissent sufficere.

Si causam exprimere debeam infœlicis conatus inflatæ bestiæ, & fœlicissimæ nostræ liberationis, Deus ille noster, quem suis blasphemias lacepsivit Rabsfaces Anti-christianus, nobis fuit auxilio, quo stante pro nobis, nemo contra nos esse vel potuit vel unquam poterit. Is est Deus noster, qui Reipublicæ Proceribus & Patriæ Patribus generosum, pium & sanctum inspiravit consilium, resistendi fortiter & constanter ad ultimum vitæ halitum hostium conatibus, ac cordatè aras & focos propugnandi. Is est Deus noster qui suâ singulari Providentiâ, nobis submisit, ceu Angelum tutelarem Libertatis & Veritatis, Illustrem & Excellentissimum nostrum Generalem Præfectum, D.RABENHAUPTIUM (cui me innotuisse Mosæ trajecti ante 40. annos, meritò mihi gratulor) qui suâ Experientiâ, Prudentiâ, Dexteritate fortissimâ, summâque Vigilantiâ, & conatus hostiles prævideret, & illos cluderet ac infringeret. Est Deus noster, quo civitatem non custodiente, frustra vigilant vigiles, qui alia fortissima peccata, Ducem Celsissimum Plœnensem Holsatiæ, Urbis Præfectum, sive ut loquuntur Commendatorem, Nobilissimumque Stoltzenburgium Rei Tormentariæ Præpositum, & tot alios Officiarios militares, maiores & minores, nostræ defensioni destinavit & adhibuit. Is est Deus noster, qui Civibus omnibus, ad æternam ipsorum gloriam, animos addidit verè Heroicos, & voluntatem constantem fortissimè pugnandi, nullumque vel laborem, vel periculum refugiendi pro Patria & pro Ecclesia; atque patienter animoque verè Christiano, absque murmure, mœrore aut tædio, quin è contrario cum Spiritua-

li

Si gaudio, ferendi omnia damna quæ vel extra Urbem per aquarum alluvionem, hosti arcendo necessariam, vel intra mœnia, per suarum ædium stragem & ruinas, fuerunt sustinenda, illud pro suo symbolo usurpantes, quod fuit quondam magni Principis Reformati in Gallia, Dulce est periculum pro Christo & Patria. Neque defuit mulier cordata, & plus quam virago, quæ auditō bombi in suas ædeis prolapsu, illinc se proripiens cum infante ad ubera, secūra suæ jacturæ, in has voces erupit, Neque tamen sic Episcopus Groningam obtinebit.

Is est noster Deus, qui etiam vos, Nobilissimi & Præstantissimi D. Studiosi, excitavit ad arma capessenda pro Patria, pro Ecclesia, pro Academia, Symbolam vestram collaturos ad Urbis fortē defensionem, & in Symbolum vestrum illud admissuros quod sibi sumserat olim Ill. Plesæus Mornæus, Arte & Marte: Ostendistis enim eō minus male convenire Minervæ cum Marte, quod Pallas, præfecta Musis, armata pingi soleat. Ea sane piæ fortitudinis edidistis specimina, eum periculorum contemptum prodidistis, ut etiam debuerimus vestræ securitati invigilare, & generosum illum vestrum impetum quadratus refrænare & coercere. Nec enim putabatis, usquam melius posse vos consistere, quam sub ore hostium, & parum absuit quin putaretis vobis fieri injuriam ubi de loco paullo minus periculo, vobis in vallo inferiori tandem prospectum fuit. Vester pudor non patitur ut vos in ora laudem; cùm præsertim non loquar nunc ex cæspitio suggestu, ex quo priisci Imperatores Romani ad suos milites sub blando Commilitonum nomine perorabant, sed ex Cathedra Academica, Rectori vestro inaugurando destinata. Dicam tamen sincerè, æternam vos laudem vestrâ heroicâ fortitudine, Academiat hujus nostræ

stræ civibus, apud seram posteritatem fuisse promeritos.
Neque ferè dubitem quin Proceres, quorum nutu & juf-
su arma capessivistis, ubi ea ponetis eadem authoritate,
ad libros reversuri, vestrum Ordinem, sint propterea de-
bitâ laude, & si Reip. ratio patietur, novis privilegiis, in
honorarium, memoriam, & præmium vestræ virtutis,
exornaturi.

Is est ille Deus noster, qui tot miracula edidit ad suæ
protectionis singularis declarationem, ac nostræ fiduciæ
confirmationem, ut quod de Menelao habet Homerus,
Minervam omnia tela in ipsum conjecta ab eo avertisse,
jure de nobis & nostris civibus ac militibus statuamus,
Deum ignita Satanæ Monasteriensis tela omnia, à nostris
capitibus & cervicibus ita averruncasse, ut ex plusquam
quatuor millibus machinarum ignivomarum in Urbem
ab hoste conjectis, paucissimæ demum ædes deflagravit;
& inter tot strages & ruinas ædium, tot globorum majo-
rum displosiones & sibilæ, vix centum homines, & illi
ut plurimum imbellis vel sexus vel ætatis, toto obsidia-
nis tempore perierint. *Non nobis Domine non nobis, sed No-*
mini tuo da gloriam. Nisi enim Jehova fuisset pro nobis,
cùm terrigenæ in nos magno furore insurrexerint, nos
vivos deglutiissent & absorbissent. Sol Leonem subibat
in Zodiaco cùm Leonis Infernalis vile mancipium ad nos
accessit; Sed Leo cœlestis ex tribu Juda, ejus infregit vi-
res, prout leones Africæ, Sole Leonis signum subeunte,
debilitari & infirmari dicuntur: Ut nihil Pseud-Episco-
po superfuerit, quam vocem blasphemam desperabundi
Juliani Apostatæ contra Christum usurpare, *Vicisti Galilæ.*
Per totos dies caniculares, quo scilicet tempore canes in
rabiem efferantur, hic rabidus Cerberus, ad nostræ Urbis
portas spumans excubuit; Sed omnis ejus bilis degene-
ravit

ravit in pituitam, ubi vallo suo proximè ad nos perdu-
cto, & cuniculis suis effossis considere videbatur ad oram
nostræ fossæ, in eum usum adhibitis cum aliorū circum-
jacentium pagorum ruinis, mæ etiam villulæ, tignis, fe-
nestris, januis, plancis, plantis, palis, tabulatis, ut mino-
rem Abaddonem & Apollyonem decebat, ubique sæ-
vientis sui latrocinii vestigia imprimendo, sensit se de-
stitutum vel fide Simonis Petri, quâ aquis inambula-
ret, vel arte Simonis Magi, sui tamen Patriarchæ, quâ
per aërem in nostra mœnia, suorum paredrorum ope
cum suis copiis evolaret: Et quamvis multa quærant
Papistæ mysteria in numero quadragenario, (habent
enim jejunia quadragesimalia, habent preces & statio-
nes 40. horarum, habent indulgentias Episcopales die-
rum 40.) non potuit tamen noster Armillus (notum vo-
bis nomen quod Judæi, Messiae hosti imposuerunt:) in-
tegram quadragenam ad portas nostras absolvere; Ulti-
mâ enim nostrorum generosâ eruptione ita perterritus
discessit, ut suos in suo vallo à nostris magno numero
cæsos, insepultos, & plurima spolia & arma in prædam
nostrorum militum reliquerit. Et quod dixit Henricus
IV, Rex Galliæ, de Cardinali Alberto, se ostentante pro-
pe Ambianum, obfessis suis opem, si potis esset, laturo,
sed non auso pugnæ aleam subire, eum venisse instar for-
tis ducis, sed abiisse instar vœcordis presbyteri, id jure
de nostro Sacrificulo fugam arripiente, sub Dei benefi-
cio & gratiâ usurpemus. Is sanè crabro bombylus, non
apis mellifica, Prædo non Imperator, eas suæ temerita-
tis pœnas nobis pendit, quæ divinitùs obsignatæ fuerunt
jacturâ plus quam decem millium ex suis latronibus;
quorum perierunt in ipsius fossis 4530. graviter sauciatos
secum abduxit 1426. Huc transfugerunt plusquam 600.

C

ultra



ultra 5000. sua castra alio dilapsi deseruerunt, adeo ut exercitus ejus, quo stipatus ad nos accesserat 22000. ferè ad medium partem redactus discesserit.

Faxit supremus ille Jehova, ut in *Imperio* animi grati, ita proficiamus in studio pœnitentiæ & emendationis vitæ ex vera fide, sub hac ejus paterna ferula, & benigna ac miraculosa conservatione, ut hostis redditum non debeamus deinceps metuere. Hujus saltem feralem prævideo fore catastrophem, ut qui alias prædatum venerat, fiat ipse præda vindicum Libertatis & Quietis Germaniæ, non minus inique quam insolenter ab illo violata, & tandem fortè ex suo Lambertiano Campanili, idem præbeat sui spectaculum Monasteriensibus, quod olim Sartor Leydensis, qui Regem Catabaptistarum profitebatur, illis per plures annos exhibuit.

Verùm non sentio horam ruere, & dum prolixius inhæreo lätis revolutionibus publicis, ferè obliviscor huj9 nostræ privatæ Academicæ, quæ aliàs annua est. Ingenuè profiteor totum hunc apparatus Sceptri, Clavium, Librorum, Sigillorum, plus sollicitæ tristitia mihi excitare, quam gaudii. Nam ut omne trinum perfectum est, optassem trinæ Recturæ per me administratæ spatio 30. annorum, quartam non accessisse, ac mea grandævitati hac in parte parcitum fuisse. Malim enim regi quam regere, esseque Stella Polaris, eodem manens fixa loco, quam erratica, sive Planeta. Quin si Urbs ante decendium obsidione liberata fuisset, excurrissem ad amicos in proximam Frisiæ, electioni isti, quæ plus meo respectu & judicio oneris habet quam honoris, me honeste subducturus. Fungar tamen in hoc munere, quantum quibo, & precibus meis annuet Numen, boni viri partibus & officio. Ibo quò potero, & spero Ornatiss. DD.

Stu-

Studioſos, ubi arma depoſuerint, ita ultrò obſequuturos
legibus Academicis, ut nihil turbarum in noſtra tenui Re-
publica ſubnafcatur; fretus præſertim hac fiduciā quod
Vos Nobilissimi & AA. D. Curatores, vestrā authoritate me-
am tenuitatem fulcire dignabimini. Deus vos, Patriæ,
Ecclesiæ & Academiæ diutissimè Superſtites eſſe jubeat; &
porrò ſuo Spiritu tam docentes, quam diſcen tes in veftra
Academia, ita regat, ut ex illa prodeat föelix anno na &
ampla messis, Virorum Sapientum, Eruditorum, bono-
rum, piorum & orthodoxorum, tam in Politia quam in
Ecclesia. Vos verò, Lectiſſimi & Dilectiſſimi Juvenes,
quos non alio quam filiorum loco & habui hactenus, &
deinceps ſum habiturus, componite animos ad Illust. &
PP. DD. Ord. Gronningæ & Omlandiæ Leges Academicas,
reverenter audiendas, & alacriter obſervandas, prout eas
vobis iam prælecturus eſt Clariss. D. Professor Mensinga,
in Academiæ Secretarium electus, quem eum in finem
huc evoco.

DIX.

TROPHÆUM
G R O N I N G A E

JAm nunc belligeras inter caput efferat urbes
Alma GRONINGA, potens mœnibus atq; viris,
Quam non Gallorum potuit terrere tumultus,
Pontificum junctæ non ſuperare manus.
Conferat huc totas Mimigroda, Colonia, vires,
 Armorum atque virūm, quos habet, omne genus.
Mœnia concutiant, proſternant tecta, domosque
 Inflammant; telis fömina virque cadat;
Stant cives invicti animis, per damna resurgunt;
 Imò lacerſitos acrior ardor agit.

Cæde

Cæde fameque urbs ipsa vacans, mala torquet in hostem,
Inversaque illum conditione fugat.
Ne plus Bombomachus Belgarum territet arces,
Fulminibus strepitique obvia quæque ruens,
Hac urbe agnoscat tandem sibi posse resisti;
Inque unâ hac, Belgas non potuisse capi.
Jure ergo hanc visens peregrinus & accola dicat:
Arx est Frisiaco sola GRONINGA solo.
Ultima de septem Belgarum fœdere junctis,
Prima iterum assertæ causa salutis erit.

M. A.

EPIGRAMMA IN GRONINGAM.

GALLO conductus furiatâ mente Sacerdos,
Tentavit cives clara GRONINGA tuos.
Sed duce CORVINO mulctatus clade recessit,
Milite consumto naufraga membra trahens.
Loricas cui mens iterum quassare minaces,
Sic eat ad corvos fida GRONINGA tuos.


*

IN EPISCOPOS.

INFula cui nigros velabat candida crines,
Dedecus huic capiti Martia cassis erat.
Qui prius in tunicâ sanctus, lituoque decorus
Constitit, & fatuas ejaculavit aquas.
Conspicuus chlamyde & sacrato cingitur ense,
Innocuo ac tristem sanguine spargit humum.
Sic miles, Monachus, rabidâ sic mente Sacerdos,
Quis mage versicolor Polypus esse potest?
Accipe quod de te poterunt jactare nepotes,
Dignus perpetuo carcere prædo fuit.

R. BRESSER G. Gr. Corrector.

¶ 25



No 2890.

8


ULB Halle
005 131 677

3




noch nicht
verwendet

Von Mc.



Farbkarte #13



B R E V I S
DISCURSUS
De Revolutionibus hujus Annī,
Ac nominatim
DE
FOELICITER SOLUTO
G R O N I N G Ā'
O B S I D I O;

Habitus in Choro Templi Academicī 23.

Augusti 1672.

Cūm fasces Academiæ quartūm susciperet

S A M U E L M A R E S I U S ,
Theologus.